incommodè ſeptimus figuratus. Idem numerus 2187, in aliâ continuè proportionalium ſerie, eſt ab vnitate figuratus quartus: cuius latus 6 $\frac{838521}{1000000}$ eſt ſinus ſecundus quæſitus.

Quoti 4 7. factus ab iis 28. qui ductus in communem diuiſorem 2 facit 56. LOGARITHMVM figurati 2187.

			Logar.			Log.
Continuè proportionales	1	(0)	0	1	(0)	0
	3	(1)	8	6838521	(1)	14
	9	(2)	16	46765372	(2)	28
	27	(3)	24	31980598	(3)	42
	81	(4)	32	2187	(4)	56
	243	(5)	40			
	729	(6)	48			
	2187	(7)	56			

Notandum hos Logarithmos *diuerſos eſſe ab iis, qui ad illuſtrationem ſuperioris Propoſitionis adhibebantur? in hoc autem conueniunt, quod vtrobique* Logarithmus *vnitatis eſt 0. quo poſito,* Logarithmi *eorundem numerorum vel ſunt æquales, vel ſaltem proportionales inter ſe.*

Sinus primus diuidit tertium) *debet primus diuidere tertium, & tertii quotum, & quoti deinceps quotum quemlibet, quoties poterit, donec quotus vltimus ſit minor diuiſore. Deinde diuiſionum harum numerus notetur, non autem quoti alicuius quantitas, (niſi fortè minimi, de quo mox plura dicemus) eodem modo ſecundus, eundem tertium eiuſque quoties diuidat. Ita etiam diuidatur ab vtroque quartus. Vt*

Sunto ſinus { primus 1, ſecundus 4, tertius 16, quartus 64

Primus 2, diuidit tertium 16, quater. Sumque quoti 8. 4. 2. 1. Secundus 4, diuidit eundem tertium 16, bis. Suntque quoti 4. 1. erunt igitur, A, 4. B, 2.

Eodem modo primus 2, diuidit quartum 64, ſexies. Quotique ſunt 32. 16. 8. 4. 2. 1.

Secundus 4, diuidit quartum 64, ter. Quotique ſunt 16. 4. 1. Sunt igitur C, 6. D, 3. ait vt A, 4. ad B, 2: ſic C, 6. ad D, 3. & ſic Logarithmus *ſecundi, ad* Logarithmum *primi.*

Si in hiſce diuiſionibus, vltimus & minimus quotus vbique ſit vnitas, vt in iſtis quatuor propoſitis: erunt numeri quotorum, & Logarithmi diuiſorum, reciprocè proportionales. Aliàs ratio non erit prorſus eadem vtrobique: veruntamen ſi diuiſores fuerint exigui & diuidendi ſatis magni, ita vt quoti ſint plurimi; defectus iſte proportionalium, vix aut ne vix quidem percipi poterit.

Hinc ſit quod numeri oblati Logarithmus.

Sumantur duo numeri 10. & 2, vel quiuis alius; & ſit Logarithmus *primi datus, ſcilicet 100, quæritur* Logarithmus *ſecundi, Primò, ſecundus ſeipſum toties multiplicet, vt numerus factorum, vnitate tantum ſuperetur, à dato primi* Logarithmo. *Deinde vltimus factus, diuidatur per primum numerum 10, quoties fieri poterit; & eodem modo per ſecundum. Erit autem numerus quotorum, facti à ſecundo diuiſi, 100. (quia factus iſte eſt figuratus centeſimus. Et ſi numerus aliquoties in ſeipſum ductus, faciet aliquem; idem numerus factum toties diuidet, & ſemel vlterius. vt 3 in ſeipſum quater ductus, facit 243. idem 3, diuidit 243 quinquies, & quoti erunt 81. 27. 9. 3. 1.) Deinde ſi idem factus diuidatur à primo 10, manifeſtum eſt, numerum quotorum, vnitate tantum minorem eſſe numero locorum in diuiſo. Idcircò cùm idem factus diuidatur à datis duobus numeris, quoties fieri poteſt? erunt (per præcedentem propoſitionem) numeri quotorum, &* Logarithmi *diuiſorum, reciprocè proportionales. Eſt autem numerus quotorum ſecundi, æqualis* Logarithmo *primi; idcircò numerus quotorum primi (id eſt numerus locorum in facto, vno demptо,) æquabitur* Logarithmo *ſecundi.*

NVMERI